

2

Novis honoribus

PRÆSTANTISSIMI, HUMANISSI-
MI ET ERUDITISSIMI VIRI

Dn.

HENRICI Krauchoff/
NEOBRANDENBURGEN-
SIS MEGALOBURGICI,

Cum ipsi summus in U T R O Q U E J U-
RE GRADUS in eximia Legum
& honorum nutrice,

SALANA,

20. Novembris conferretur,

Votivæ acclamations amicorum Witeber-
gensium & Jenensium.




J E N Æ

Typis LIPPOLDIANIS, Anno 1606.

Fratri suo cano^o M. Nicolas Rhostio
pastori ac Superintendenti Eccl^e Alstedens^e
mittit Georgig Rhostius 20. Novemb. 1606.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



I.

Ngenium Pallas finxit, sed & arte Themistos
 Excoleris, lingvam Svada venusta polit.
Nunc tibi dat sponfam venerandus S T R O M E R
 Propediem formam JUNO benigna dabit. (honestam,
 Te V I T E B E R G A docet, Te S A L A sed auget honore,
 F O R T V N A adjiciet prospera cuncta tibi.

Jacobus Stintius J. U. D.

II.

KR A U T H O F F I, qui te commendas ubere laude
 Seu Themidos res sit, sive sit eloquij,
 Et quàm miramur vernacula fundere sensa,
 Et quàm Romanis Attica mella favis,
 Ut præco satis ipse tibi plenumq; theatrum es,
 Sic istis impar dissimilisq; venis,
 Quos vulgo ad titulos, magnarum & culmina rerum
 Aurinus, sed non docta Moneta vehit.

*Adamus Th. Siberus
 Orat. p. V Vitteb.*

III.

P A N E G Y R I S

Quousque tandem, Marte ferox suo,
 Insanientis gens sapientia,

In Principum Ducumve castris
Haut aliquo prohibente regnat!
Quæ Legum, & æqui nescia, quæ bonus
Nidor lucelli fumat, iners furit,
Altumq; clamans, fraude cæcâ
Fascinat improba judicantes.
Sic impudenti murmure litium
Porro forensis semina Cerberus
Fovere perget, & clientum
Tutus opes sibi vindicabit?
En fida custos juris, & arbitra
SALANA, iniquam condolet hanc Dicis,
Miserta, sortem, atq; ingementi
Suppetias parat æqua Divæ:
Dum jam quaternos Mercurialium
Fætus virorum enixa simul, quasi
Coloniam eruditioris
Militiæ, præeunte Phæbo
Festiva ducit, quæ, scabiem fori
Febresq; dirum spermologum genus,
Heroa pellat, pristinumq;
Eunomia reparet nitorem.
Hos inter Astrææ Proceres, velut

Præ-

*Praelustriori sidere purpurans
Spico, vel insignes ad Arcton
Circumagens Helice quadrigas,
Adsertor & qui conspicuus cluis,
HENRICE KRAUTHOFI; & merito tuo
Nunc primipilus laureatam
Ducis ovans, decorasq; classem.
Cui dius ardor pectoris entheat
Felicethyrso magnanimos sinus,
Doctæq; claustra mentis ignit
Juridicos agitare motus.
Evax adeptâ juris adorea
Lætus triumphâ; quum tuate beet
Doctrina, debitasque ponat
Pyramidas tibi vera virtus.
Arce quod usquam rostra, scholæque, alunt
Monstrorum, in amplo justiciæ tholo,
Acerque vindex pertinaci
Verbere pelle Crumenimulgas.
Vides, paterna splendida curiæ
Ut præstoletur, purpura tereis
Asylum, & ultrò promerenti
Porriget officiosa fasces?*

A 3

Quin

*Quin ergò promptâ suscipiens manu
Gubernarum, vindicias foro*

*Reddes, & extorrem, imperator
Magnificus, revocabis astris
Astram, ut accersita simul polo
Solum reviset pulsa dolis Fides,
Et publico privoq; passim
Jure, redux dominetur Æquum.*

*Sic te dynasten justiciæ, THEMIS,
AUGUSTUM ut olim CÆSAREM, ad æthera
Vectum, ne p̄am inter lucidamque
Erigonen, medium locabit.*

Applausa

Veteris amicitia, fideique germanæ causâ,

Johanne Melbecio Lunæ-
burg. Sax:

IV.

AUree patritii flos sanguinis, intime amice
Salve, terque simul gaudia mille cape.
Nam THEMIS insignem LAURI de fronde coronam
Nexit, quam capiti est impositura tuo.
Ardua nam semper sequitur molimina merces,
Et VIRTUS digna laude carere nequit.
Ergo labore tuo jam dignos percipe quæstus;
Atque tuo studio perge juvare tuos.

Sisque

Sisque salutaris patriæ cui maxima debes,
Pergratusq; DEO, charus itemque tuis.
Sic tua perpetuis durabit gloria seclis,
Gloria constructos non subitura rogos:
Nec minus auratis olim te fama quadrigis
Alta corusciferi tollet ad astra poli.
Hæc ego pauca tuo jam magno confecro honori,
KRAUTHOFF Salaidum fax noua, gentis honos:
Quippe tibi solido devotæ mentis amore
Gratulor, & cœptis fata secunda precor,
Quæ cape perfacili pro consuetudine vultu,
Meque tuo foveas, FAUTOR, amore: Vale.

Casparus Schwarzkopff

Wismar: Megap: LL. S.

V.

SIt minor quamvis mea Musa, magnum
Quam tuum ut possit celebrare honorem,
Quem tibi lubens tribuit vetusta

JENA petenti:

Accinat veras tamen orbe laudes,
Docte Crauthofi, quibus omnis ora
Patriæ terræ scatet; atque clarus

Varnus abundat.

Sic enim dulces animo fideli
Te iuvat Musas coluisse; mente
Sic tenes firma veneranda legum

Jura sacrarum:

Calculo ut justæ Themidos valente
Percitus quivis bonus atque doctus

Tecanat, nomenque tuum suprema

Tollat ad astra:

O ni-

O nimis felix, nimis & beatus
Cui student omnesque Dii Deæque
Strenui largis manibus laboris
Præmia ferre!

O nimis felix, nimis & beatus,
Sic cui pollex micat exhibente
Gemmulas auro; & viridi revincta
Tempora lauro!

Non quidem nautæ caret unguis auro
Divitis; sed quid notat? insolentem
Simiam, indutam Tyrio corusca
Murice veste.

Stulte quid molles digitos amator
Implicas auro! Tua nulla virtus
Hoc tibi syadet, geniosa semper
Otia amanti.

At tuæ mentis radii sagacis,
Perpoliti auri radios necantes!,
Pura causarum, tenebris fugatis,
Lumina pandunt.

Tu decus pulcrum popularis horti,
Culte Crauthofi, patrii coloni
Te manent omnes, veteresque poscunt
Tollere lites.

Cuncta ut hæc fausto, mea Musa, fiant
Sidere exopta, Patris & supremi
Gratiâ, quidquid volet & studebit,
Hic potiatur.

Honoris & observantiæ ergo

*Ioachimus V Vestphalus Neobrandeb.
popularis canit.*

F I N I S.

Biogr. em. D 1601, 110^d